

scilicet poenitentem, cum se ad iustificationem disponit, obtinere posse actibus suis remissionem peccati etiam quoad debitum poenae temporalis plus minus plenam, ut sic extinguat ex parte vel ex toto debitum poenae illius, quae per se manere posset, remissa culpa. Id ipsa ratio agendi veterum persuadet, quae haud infrequenter a poenitentibus opera satisfactoria exigebat ante absolutionem culpae, idque seq. Th. declarabimus.

III. Itaque huc redit quaestio: an restituta amicitia divina sit exhibenda Deo aliqua compensatio pro iniuria iam illi illata. Si enim id demonstratur, certum quoque erit posse et debere exhiberi Deo aliquam satisfactionem, qua debitum poenae extinguitur tum a iusto tum a peccatore, etsi alio et alio modo. Posset quidem Deus debitum omne dimittere, quemadmodum facit in baptismo et in martyrio; sed velle etiam potest, si naturae rerum id ferant, ut aliqua compensatio seu satisfactio pro peccato remisso ei exhibeatur.

Doctrina catholica haec est. 1°. Remissa culpa non eo ipso nec semper remitti debitum totius poenae. 2°. Debitum hoc posse redimi operibus bonis laboriosis seu afflictivis aut quomodocumque poenali- bus. 3°. Haec opera ad tria praecipue capita revocari, orationem, ieiunium, eleemosynam. 4°. Haec tum sponte assumenda esse, tum in Sacramento Poenitentiae iniungi posse et debere. 5°. His operibus condigne iustos satisfacere divinae iustitiae. Totidem sunt antitheses haereticorum. Cf. Bellarminum de Poenit. L. IV. c. 4).

THESIS XXXVI.

(qq. XII. et XIII.).

Potest remitti a Deo culpa mortalis, manente debito alicuius poenae temporalis; imo falsum est nunquam culpam a Domino remitti, quin universa etiam poena condonetur.

I. Negarunt prius Protestantes, ut negare possent et alterum. Argumenta eorum adornavit prae ceteris Ioannes Dallaeus in opere de Poenis et satisfactionibus humanis; Doctrina, quam hac 1^a parte defendimus, catholica est et supponitur a Tridentino Sess. XIV. cp. 8. Pro probatione advertite: propter peccatum mortale hominem contrahere duplicem reatum, reatum culpae, qui est ipsa culpa perseverans, constituens hominem aversum habitualiter a Deo eique inimicum obiectumque odii abominationis et inimicitiae divinae, reatum poenae, qui est dignitas subeundae poenae pro iniuria illata, quo proinde constituitur homo obiectum odii vindictae divinae. Hic

alter reatus est et ipse reatus culpae non formaliter, sed efficienter; pendet enim a culpa actuali, quae praecessit et comitatur culpam habitualement. Quare hic reatus non constituit hominem peccatorem, sed supponit. Porro remissio peccati perfectissima ea est, qua uterque reatus integre tollitur, ut non amplius sit homo obiectum odii abominationis, restituta amicitia per gratiam, et non sit amplius obiectum odii vindictae, ablato quocumque debito poenae. Reatus autem poenae desinere non potest manente reatu culpae; dignus est enim poena peccator, unde manente peccato nequit ea dignitas deesse. Quaestio est utrum possit esse remissio culpae, manente reatu poenae. Et quidem si sermo sit de reatu poenae aeternae, negandum est; nequit enim, restituta homini amicitia et filiatione divina ac iure hereditatis aeternae, manere dignitas aeternae poenae. At si quaestio fiat utrum remissa culpa seu amicitia restituta, possit manere debitum alicuius poenae temporalis, ita ut remissio culpae non sit perfectissima, sed perfecta sit quoad reatum culpae, imperfecta vero quoad reatum poenae, cuius aliquod debitum adhuc maneat; affirmative respondendum est. Nomine vero poenae, ut Dallaeus monet, intelligimus malum physicum quod homini, qui peccavit, infligatur *in vindictam criminis admissi seu in compensationem aut satisfactionem offensae illatae*. Probamus ergo haec duo simul esse posse, remissionem culpae et permanentem reatum alicuius poenae temporalis.

II. Sane obligatio subeundae poenae id postulat, ut culpa praecesserit, nimirum hoc facto posito, ratio existit sufficiens cur aliqua poena ab eo, qui offendit, exigatur. Iam vero obligatio alicuius poenae temporalis non repugnat cum statu amicitiae. Liquet id primum ex communi conceptu amicitiae inter homines; potest enim offensus restituere amicitiam, quin renuntiet iuri, quod habet ad compensationem damni vel iniuriae illatae. Ratio autem est, quia cum statu amicitiae multoque minus cum eo amicitiae statu, quae est inter inaequales, non pugnat obligatio iustitiae erga amicum: unde nec pugnat cum eo statu ius in amico exigendi quod alter debet; sicut vero exigere potest debitum ex re accepta, h. e. restitutionem, ita exigere potest debitum ex iniuria illata, sive satisfactionem. Quod si offensus restituens amicitiam non sit solum amicus, sed superior et princeps, poterit exigere satisfactionem positam *in poena ferenda*, quam ipse constituit in vindictam iniuriae. Atqui vera remissio culpae tunc habetur cum amicitia restituitur, ergo potest remitti culpa, quin tota poena remittatur. Probatur haec minor: cum enim Deus amicitiam restituit, desinit esse homo obiectum odii abominationis, cessat perseverantia moralis culpae propter quam odio habebatur ut

inimicus, et idcirco desinit reatus culpae et culpa ita deletur ut non amplius redire possit; atqui haec est vera remissio culpae: ergo.

Et sane rationi quoque congruum est ut remisso peccato, quod admissum fuerit post baptismum, poena aliqua a iustificato exigatur. Ut enim cum Tridentino loquamur Sess. XIV. c. 8. « Divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam accipiantur qui ante baptismum per ignorantiam (absque lumine fidei) deliquerint, aliter vero qui semel a peccati et daemonis servitute liberati et accepto Spiritus S. dono, scienter templum Dei violare et Spiritum S. contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut iniurii et contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die irae. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae cautioreque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt, etc. » Quibus consentit Augustini sententia (Tract. ult. in Ioannem n. 5.) « Productior est poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena ». Scilicet tum divinae iustitiae tum nostrae quoque utilitati consentaneum est ut non eo ipso quod baptizatis culpa remittitur, poena omnis remittatur; sive quod perinde est consentaneum est ut plena remissio peccatorum post baptismum, plena inquam, qua nimirum aditus ad gloriam immediate patet si mors contingat, non obtineatur eo tantum quo iustificatio potest obtineri, sed additis insuper quibusdam satisfactionibus poenalibus, quibus divinae iustitiae fiat satis.

III. Protestantium potiora nunc argumenta audiamus contra hanc veritatem. Aiunt igitur 1°. E sententia Apostoli Rom. VIII. 4. nulla damnatio est in iis, qui sunt in Christo Iesu: atqui tales sunt omnes iustificati, est autem aliqua damnatio debitum poenae vel temporalis; ergo fieri nequit ut is, cui culpa est remissa, sit debitor alicuius poenae.

Respondeo. Verba Apostoli secundum lectionem graecam, cui non adversatur vulgata, sunt; nulla ergo nunc est damnatio iis qui in Christo Iesu non secundum carnem ambulant. Ea referens Trident. Syn. Sess. V. cn. 5. ubi definit per gratiam baptismi tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, ita exponit: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes etc.... Et quidem merito ea verba: *qui sunt in Christo Iesu* exposita sunt per alia: *qui consepulti sunt cum Christo per baptisma*, quae sunt verba ipsius Apostoli in praeced. cap. VI. 4. Hac enim re enunciata ibi Apostolus incipit exhortari fideles ut prorsus

morianur peccato, ultra ei non servientes, quod peccatum est concupiscentia. Cuius indole descripta ac malitia, atque ostenso culpam sitam esse in libero consensu eidem, quae Paulus exsequitur hoc capite VI. et seq. concludit initio capitis VIII. nullam esse damnationem iis, qui in Christo existentes, h. e. ut prius dixerat, baptizati in Christo, non obediunt concupiscentiae; nam non amplius iis nocet ipsa concupiscentia, cuius reatus dimissus est per baptismum, neque nocent motus eius, si eis non consentimus. Quid vero haec ad nostram questionem? An volunt Protestantes quamlibet remissionem peccatorum perinde esse ac illam, quae fit in baptismo? At advertere debent remissionem per baptismum *non esse simplicem remissionem, sed remissionem specialem*, h. e. regenerationem, qua nova fit creatura, novus homo, veterem exuto. Non vero omnis remissio talis est: non ergo ex eo, quod contingit in illa remissione, licet concludere ad omnem remissionem.

Aiunt 2°. Remissio per Christum facta est perfecta, et pro omnibus peccatis satisfecit ita ut poenas omnes luerit peccatis nostris debitas: nulla ergo potest superesse poena luenda a nobis.

Respondeo. Hoc argumentum par est illi, quo Protestantes, ne iniuria fiat meritis Christi, excludere volunt merita iustorum: similis proinde erit responsio. Scilicet sicut merita Christi non excludunt merita nostra, imo haec ab illis nascuntur, et ab iis est nostra vis merendi, ita ut meruerit nobis Christus non solum ut salutem consequeremur, sed ut eam humano modo et libero merentes consequeremur, ita et satisfactio Christi non excludit satisfactiones nostras. Palmites enim sumus in vite Christo, fructusque ferimus, agente Christo ac subministrante virtutem, tum meritorios tum satisfactorios; plenaque est ac perfecta redemptio et satisfactio non eo sensu ut nos nihil agere oporteat, sed eo sensu quod obtinuit Christus quidquid opus est ut a peccatis purgemur, iusteque viventes et gloriam promereri et divinae iustitiae satisfacere valeamus.

Arguunt 3. Posita remissione, nulla opus est hostia pro peccato: ergo nec ulla superest poena. Antecedens probatur verbis Apostoli Hebr. X. 18. Ubi autem horum (peccatorum) remissio, iam non est oblatio pro peccato. Consequentia probatur quia per hostiam expiantur peccata; nullam ergo amplius hostiam esse pro peccato, et nullam esse amplius expiationem: nulla igitur, remisso peccato, superest poena, qua peccatum expietur.

Respondeo ibi sermonem esse de hostia, quae virtute sua efficiat remissionem peccatorum, qualis fuit sacrificium Christi, quae hostia si exstitisset in veteri lege, non fuisset opus alia, quam Christus obtulit, qui una vice oblatus consummavit in sempiternum sanctifica-

tos. Remissis ergo peccatis vi sacrificii Christi, non est opus alia oblatione, sed vi eiusdem sicut existunt merita, ita existunt satisfactiones iustorum.

Arguunt 4. Haec est natura remissionis ut Deus non amplius recordetur peccati remissi: at recordaretur profecto, si hac poena illud puniret; nequit ergo esse remissio manente debito poenae. Isaiae XLIII. 25. Ierem. XXXI. 34.

Respondeo. Vel est quaestio facti vel possibilitatis. Si prior sit, eam paulo post expediemus. Si altera, respondeo, quod potest profecto esse remissio talis ut culpa et omne poenae debitum extingatur, at verba in testimoniis citatis ac similibus non postulant ut omnis remissio culpae deleat quodlibet debitum poenae. Nam etsi maneat alicuius poenae debitum, verum est Deum simpliciter oblivisci peccatum (quod metaphorice accipiendum est) quatenus restituta amicitia non amplius hominem considerat ut sibi adversum nec eum odit odio abominationis eique destinat aeternam poenam, sed diligit habetque ut amicum et iustum, quem gratia sua talem effecit eique vitam aeternam destinat; quibuscum non repugnat debitum aliquod manens exsolvendum divinae iustitiae, quod iustus per Dei gratiam in hac quoque vita redimere potest. Componenda sunt sane haec testimonia cum iis, quae mox afferemus parte seq. in arg. 2.: ex quo consequitur quod remissio plenissima, ut Deus nullo pacto recordetur peccati vel ad vindictam temporalem, tunc datur cum plenissima poenitentia existit per contritionem scilicet et satisfactionem; veram autem remissionem haberi posse nondum exhibita plena satisfactione.

Tandem aiunt. Nequit dici desinere moraliter culpa, cum propter eam homo adhuc puniatur: neque dici potest hominem non esse amplius obiectum odii divini, cum ei Deus velit malum, h. e. poenam: neque concipi potest peccatum remissum, quod adhuc punitur seu concipi nequit culpam non adhuc a Deo imputari homini, qui propter illam punitur.

Respondeo ad 1.^a Si puniri non posset nisi culpa praesens sive perseverans reatu, *conc.* si puniri possit culpa, quae praecessit, idque sit satis ad legitimam punitionem quod culpa extiterit, *subd.* non desinit quoad effectum aliquem, *conc.* in re ipsa formaliter, *neg.*

Ad 2.^a Cum odium dicitur erga aliquam personam atque dicitur sine addito, intelligitur proprie odium abominationis seu inimicitiae; quocirca simpliciter negandum est Deum odisse iustos, etsi adhuc alicuius poenae debitores. Odium vero cum addito diminvente, h. e. odium solius vindictae, non est nisi voluntas infligendi aliquod malum alicui sub ratione poenae propter amorem iustitiae, cui faciendum est satis; porro sicut a iusto et amico potest exigere solutio suae

obligationis, ita potest ipse esse obiectum huiusmodi odii, h. e. huius voluntatis vindictam exigentis.

Ad 3.^a nequit concipi peccatum remissum remissione perfectissima, quod adhuc punitur, *conc.* peccatum remissum remissione vera, quod adhuc punitur, *dist.* quod adhuc punitur poena aeterna, *trans-eat*: poena tantum temporali, *subd.*, si punitur ex odio, vel cum odio abominationis personae, *conc.*, si punitur sine huiusmodi odio propter amorem iustitiae, cui amicus quoque Dei satisfacere debet, *nego.* Quare cum Deus plectit iustum pro culpa praeterita, imputat ei quodammodo culpam, sed non imputat quatenus habeat eum de praesenti culpabilem et inimicum, sed quatenus vere olim peccavit: neque imputat ad hoc ut habeatur dignus odio et inimicitia divina, sed ad hoc ut censeatur dignus aliqua poena, debitorque alicuius satisfactionis.

Errat ergo Dallaeus (Op. cit. L. II. c. 1.) post Chamierum in sua Panstratia Catholica Tom. III. Lib. XXIII. c. 2., aliosque Protestantes, cum contendit haec duo invicem pugnare, culpam esse remissam et nihilominus hominem puniri propter culpam: remissio enim culpae per se non postulat nisi id, quod ad restitutionem amicitiae postulatur: haec vero non exigit extinctionem alicuius debiti iustitiae prius contracti, cuius solutio bono amicitiae non adversetur, cuiusmodi quidem esset passio aeternae poenae, non tamen passio alicuius poenae temporalis. Non enim repugnat amicitiae, sive prout est passio alicuius mali a Deo inflicti, ut ipse Dallaeus concedit; sive prout est ex obligatione contracta propter iniuriam illatam (in quo proprie consistit ratio poenae), quemadmodum non repugnat amicitiae obligatio restituendi ex re accepta. Quae Dallaeus docet, valent in remissione perfectissima, quam tamen Deus concedere non tenetur statim ac culpam remittit: neque huius rei necessitatem Dallaeus probavit.

IV. Hactenus de iure; nunc probamus factum. Controversia non est utrum semper quolibet remisso peccato remaneat reatus poenae temporalis. Concedunt enim et Catholici tum in regeneratione spiritali per baptismum reatum omnem culpae et poenae aboleri (Eugenius Decret. pro Armenis. Trident. Synodus Sess. VI. ep. 14.) idque in martyrio etiam, tum tantam esse posse contritionem, quae totius quoque poenae reatum deleat, ut Theologi communiter docent cum s. Thoma. Suppl. q. V. a. 2. Sed controversia est utrum talis sit remissio culpae, ut eo ipso quod Deus remittit culpam, remittat quoque totam poenam, et idcirco quae dispositio sufficit pro obtinenda remissione culpae, sufficiat quoque pro obtinenda remissione totius poenae, ideoque nunquam Deus remittat culpam quin simul

totam remittat poenam: an potius ea sit ordinaria lex remissionis peccatorum post baptismum, ut remissa culpa iis, qui ad huius remissionem sunt sufficienter dispositi, maneat luenda aliqua poena temporalis. Illud protestantes contendunt, hoc catholici.

Sententiam catholicam ita 1) cum Valentia I. II. D. VI. q. 47. p. 5. demonstramus. Si ex Scriptura novimus aliquibus peccatoribus ita Deum remisisse culpam, ut nihilominus poenas temporales pro eadem culpa post remissionem exegerit, dubitari non debet quin omnibus etiam aliis vel eadem peccata vel quaecumque alia sive graviora sive minus gravia quam illa committentibus, aliqua etiam temporalis poena pro ratione ipsius culpae divinitus decreta sit supersitque similiter exsolvenda post culpam remissam; nisi quantum satis est prius illam exsolverint. Atqui certum est temporalem aliquam poenam, quae vera esset poena, in vindictam nempe criminum, remissa culpa, quibusdam hominibus, qui quaedam genera peccatorum commiserant, divinitus decretam fuisse: ergo. Probatur maior, quia nulla idonea ratio discriminis assignari potest; nam ex Scriptura constat hanc esse Dei legem sive divinae providentiae ordinem, ut sicut in remunerando, ita et in puniendo Deus reddat unicuique secundum opera sua, Psal. LXI. 13; Prov. XXIV. 12; Rom. II. 6; Matth. XVI. 27; Iob. XXXIII. 10. 11; quae quidem lex non ad hoc vel illud tantum determinata, sed ut universalis exhibetur. Atqui non servaretur huiusmodi lex, si quibusdam peccantibus poena temporalis, remissa culpa, decerneretur, aliis idem vel plus peccantibus nulla talis poena esset statuta; nam si illa peccata Deus punit, ergo eam poenam illa peccata etiam remissa merentur; non enim immeritum punit Deus: igitur et similia et graviora peccata aliorum poenam merentur, quam si Deus non infligit, non dat unicuique secundum opera sua. Porro si peccata quaedam licet remissa poenam aliquam merentur, etiam minus gravia peccata aliquam, minorem quidem, merentur poenam; poena enim propter peccatum debetur, sub qua ratione et gravia et minus gravia conveniunt: ergo et iis poena aliqua temporalis proportionata decreta est, ut detur unicuique secundum opera sua.

Probatur igitur minor. 2. Reg. XII. 10. seq. Deus per Prophetam haec comminatur Davidi propter peccatum ab eo admissum; *quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriae Hethaei, ut esset uxor tua. Itaque haec dicit Dominus: ecce ego suscitabo super te malum de domo tua et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo... Et cum dixerit David: Peccavi Domino; respondit Propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris: ve-*

rumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. Iam vero constat 1) cuncta mala priore loco enumerata Deum comminatum esse propter peccatum praeteritum in poenam eius et constat pariter iis malis obnoxium fuisse Davidem post remissionem obtentam peccati: constat 2) mortem filii in poenam eius peccati fuisse illatam, quod aperte significatur ea voce *veruntamen*. Nimirum peccatum tibi est remissum nec Deus poenam mortis a te exigit, at hoc malo te afficiet, morte filii tui, limitatur nempe locutio praecedens: Dominus transtulit peccatum tuum, remisit tibi peccatum, at non plenissima remissione, poenas enim aliquas dabis. Unde liquet malum hoc, quod est mors filii, inferri Davidi propter peccatum, quod non ita est ei remissum ut ipse exemptus sit a quovis malo propter illud subeundo, quod malum est poena manens post remissionem.

Num. XX. 12 propter peccatum Moysis, quia non credidit Deo ut sanctificaret eum coram filiis Israel, Deus illi hanc poenam decernit ut non introducat eos in terram Chanaan. Probabile ne est quod Moyses vir sanctissimus huius peccati poenitentiam non egerit, et culpae remissionem non obtinuerit? Attamen poena mansit, eique infligitur XXXVII. 13. 14. quia offendit Dominum in deserto Sin in contradictione multitudinis. Ergo.

Idem colligi potest ex 3. Reg. XIII. 20 seq. quoad illum prophetam virum Dei, qui propter inobedientiam traditus est a Domino leoni; quamvis eius peccati ante mortem poenitentiam eum egisse satis constet ex iis honoribus, quibus eius cadaver alter propheta prosecutus est.

1. Cor. XI. 30. Paulus ait multos fideles, eo quod non se probarent ante communionem corporis et sanguinis Domini, infirmos esse, imbecilles et mori. Huiusmodi vero mala fuisse poenam illius peccati constat 1) ex nexu causali *ideo*, quo docemur ea mala fuisse propter peccatum praeteritum; atqui haec est poena: 2) quia per haec mala dicitur Deus iudicare eos improbos v. 31., malum autem a iudice inflictum est poena. Mors ergo quoque seu mortis anticipatio poena erat illius peccati. Iam vero vel Apostolus sciebat omnes eos, qui mortui erant propter illud peccatum, mortuos fuisse impoenitentes, vel nesciebat: nulla est autem ratio cur primum affirmemus: si vero nesciebat, ipse non poterat affirmare quod mors fuerit quoad illos poena illius peccati, nisi hac doctrina supposita quod etiam deleta culpa potest poena infligi: ergo. Probata est igitur minor argumenti propositi; idque est quod Trident. ait Sess. XIV. ep. 8. perspicua exstare in sacris literis exempla, quibus haec doctrina stabilitur.

Probatur 2) eadem minor argumento universali. Poenitentia pro peccatis personalibus in Scripturis talis exhibetur, ut sit primum in toto corde tum in ieiunio et fletu et planctu (Ioel. II. 12) in cilicio quoque et cinere (Matth. XI. 21) additis etiam eleemosynis (Dan. IV. 24). Iam vero haec omnia actu certe non requiruntur pro sola remissione culpae obtinenda; nam in quacumque die conversus fuerit peccator, omnium iniquitatum suarum veniam obtinet (Ezech. XVIII. 21. 22): requiruntur tamen distributive saltem et secundum genus pro satisfactione divinae iustitiae; nam requiruntur ut actus poenitentiae, poenitentia vero eo spectat ut divinae iustitiae compensationem exhibeat. Ergo sola remissione culpae non deletur omne debitum hominis erga Deum; ergo praeter ea, quae praestanda sunt et sufficiunt ut culpae remissio obtineatur, alia praestare oportet, quibus plene fiat satis divinae iustitiae, quaeque vel ante remissionem culpae, vel post eam exhibenda sunt Deo. Igitur remissa simpliciter culpa restat obligatio alicuius poenae subeundae seu alicuius satisfactionis, quae si non in hac vita, in altera subeunda erit.

3) Eadem veritas traditione Ecclesiae constat: quod et haeretici fatentur, ut Calvinus, qui in L. III. Institut. c. 4. ait: « Parum me movent quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos ». Sane doctrina diserta Patrum ad normam doctrinae Scripturarum modo expositae exacta est; eaque ad haec duo capita potest revocari: a) remissa culpa non eo ipso desinere obligationem subeundae poenae seu satisfaciendi Deo pro culpa. August. in Ps. L. « Aliquando Deus, cui ignoscit in futuro seculo, corripit eum de peccato in isto seculo. Nam et ipsi David, cui dictum iam fuerat per prophetam, remissum est peccatum tuum, evenerunt quaedam, quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum ». Gregorius M. *Moralium* L. IX. c. 34. « Delinquenti Dominus nequaquam parcit, qui delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut Deus cum homine vindicans percutit... Sic David post confessionem audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum: et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpae, quam perpetraverat, absolvit ».

b) Doctrina est Patrum oportere peccatores pro peccatis admissis post baptismum poenitentiam laboriosam subire corporis afflictationibus, ieiuniis, vigiliis, eleemosynis, ut satisfaciant Deo pro culpa admissa, eamque poenitentiam debere etiam remissa culpa, ideoque plenam remissionem totius culpae et poenae non obtineri eo tantum quo obtineri potest remissio culpae. Sane differentia asserta pecca-

torum ante et post baptismum admissorum (« loquitur Spiritus S. et dicit: *Eleemosynis et fide delicta purgantur*, non utique illa delicta, quae fuerant ante contracta; nam illa Christi sanguine et satisfactione purgantur ». Cyprianus *De Opere et Eleemosynis*), necessitatem laboriosae poenitentiae pro peccatis post baptismum admissis tradunt omnes veteres Patres, qui de Poenitentia scripserunt. « Orare oportet, ait idem Cyprianus in libro de Lapsis, impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis ac noctes fletibus ducere, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio et sordibus volutari. Qui sic Deo satisfecerit, qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adiutus a Domino, quam contristaverat nuper laetam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam (martyrii scilicet) ». Porro eam poenitentiam censuisse Patres peragenda etiam esse post remissam culpam constat manifeste ex disciplina Ecclesiae circa poenitentes, qui in infirmitate fuissent absoluti et Eucharistia refecti; ii enim, si convaluissent, iuebantur praescriptam poenitentiam peragere, ut patet ex Can. 13. Conc. Nicaeni, et Can. 78. Concilii Carthag. IV. can. 3. Arausici I et ex Gregorio Nysseno *Epist. ad Letoium*. can. 2. Unde constat poenitentiam laboriosam non eo spectasse tantum ut culpae remissio obtineretur, sed ut poena etiam debita exsolveretur pro culpa. Ex quibus proinde patet censuisse Patres remissionem totius culpae et poenae ab iis, qui post baptismum peccaverant, non obtineri eo tantum, quo potest remissio culpae obtineri ac reatum alicuius poenae manere remissa simpliciter culpa.

Et sane si satisfactio exigitur praeter contritionem ante iustificationem, ea post hanc peragenda quoque est, si primum peracta non fuit, vel non tanta quanta oportebat. Ratio est quia nequit esse in meliore conditione alteruter peccator, si supponamus utrumque aequae peccasse. Iam vero Patres flagitabant saepe pro certis criminibus publicis longam satisfactionem ante reconciliationem, satisfactionem inquam in vindictam criminum, non solum praeparationem pro recipienda gratia: ergo quemadmodum ii qui sero absoluti fuissent, aliquam, qui idem peccassent, sed statim a contritione fuissent absoluti, satisfactionem postea tenebantur persolvere.

Ecclesiae perpetuam et constantem Traditionem expressit Trid. Conc. Sess. XIV. cp. 8. docens « falsum omnino esse et a Verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur ». Cf. can. 12.

IV. Aiunt haeretici testimonia Veteris Testamenti non probare quod modo reatus poenae maneat post remissionem culpae, quia nunc viget alia oeconomia, postquam Christus cumulativissime pro culpa

et poena satisfacit. Unde ea doctrina iniuriosa est quoque Christi satisfactioni, ac si non valuerit ad abolendum totum reatum poenae.

Respondeo. 1) Nos non tantum ex V. T. testimonia protulimus: 2) ea et ad novam oeconomiam applicant Patres et quidem merito; nam 3) fructus meriti et satisfactionis Christi fuerunt secundum speciem eadem et ante et post passionem eius; valuit enim eius sacrificium pro omnibus, unde et dicitur agnus occusus ab origine mundi (Apocal. XIII. 8. 4). Satisfactio Christi valorem habuit pro abolenda tota poena, sed ea applicatur nobis tum per Sacramenta tum per opera bona ope gratiae, quam nobis promeruit, facta, per quae in Christo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre (Sess. XIV. cp. 8).

Aiunt rursus: Patres quoque docent quod vitae huius miseriae ante remissionem quidem sunt supplicia peccatorum, post remissionem autem sunt certamina et exercitationes iustorum (August. de pecc. mer. et remiss. L. II. c. 34.) vel quod Deus supplicium infert non ut praeteritorum poenas exigat, sed ut in futurum emendet (Chrysost. hom. non esse ad gratiam concionandam n. 5).

Respondeo sententias huiusmodi non esse accipiendas exclusive, sed eo spectare ut proprius finis indicetur poenarum, quae peccatoribus et quae reconciliatis infliguntur a Deo, atque divina sapientia et misericordia commendetur, quae in utilitatem nostram vertit et meritum ea, quae iuste patimur.

Praeterea urgent testimonia Scripturae, quae iam expedivimus sub n. III. cf. ibidem.

V. Quaeres an sit ex rei natura an tantum ex Dei voluntate quod maneat debitum poenae temporalis remissa culpa. Respondeo posse quidem Deum, si velit, remittere gratis omne debitum poenae, remissa culpa, nec de hoc est quaestio. Sed quaestio est quam partem habeat voluntas divina in permanentia debiti poenae temporalis, an scilicet quatenus remissa culpa, voluntas Dei determinat existentiam debiti illius, an quatenus tantum, cum posset illud gratis tollere, si vellet, non tollit per remissionem perfectissimam, quam dare non tenetur. Respondeo autem quod hoc altero modo res intelligenda est: nam, ut ait Vasquez 3. p. q. XCIV. a. 1. dub. 2., cum nequeat Deus punire eum, qui non est dignus poena, necesse est ut dignitas poenae praesupponatur voluntati divinae.

Quaeres rursus quaenam sit poena primo et per se debita peccato remisso. Respondet Bellarminus l. c. recte docere Caietanum in Tract. de Contrit. q. 14.* poenam luendam post culpae remissionem esse illam poenam sensus, quam in gehenna pati debuisset pec-

cator, remota aeternitate. Ratio est, quia poena temporalis debita peccato remisso, est poena, quae manet ex tota poena, quae peccato admissio debebatur: atqui haec est proprie poena alterius vitae; poenae enim huius vitae nec semper nec necessario infliguntur, cum tamen Deus reddat unicuique iuxta opus suum: ergo et poena temporalis manens censeri potest poena alterius vitae. Et re quidem vera; poena *per se* (h. e. ratione habita peccati et iustitiae divinae tantum) et *primo* (h. e. non vice alterius, sed ratione sui) debita peccato est ea poena, quae habeat puram rationem vindictae, infligenda a Deo offenso, erga quam peccator non ut agens eam eligendo, sed ut patiens se habeat, ita ut eam effugere non possit, eaque divina iustitia compensationem iniuriae illatae consequi certe valeat. Talis enim est proprie ratio poenae, ut per se in invitum quoque ferri possit, eamque peccatum, eo ipso quod est offensa Dei, mereatur; atque Deus ius habet eam exposcendi a reo, quavis alia reiecta libera satisfactione. Atqui poenae huius vitae, quae iustis infliguntur, nunquam habent rationem purae vindictae; nam vel ipsa mors maximum bonum ipsis affert, quod est perseverantia finalis, et plerumque ab ipsis iustis eae libere assumuntur, atque cum a Deo immediate proveniunt, vel eas iustus declinare potest, vel ita invitus pati, ut Deum potius rursus offendant novumque poenae reatum contrahat. Quapropter poena primo et per se peccato debita in altera vita proprie exstat, quam post iudicium homo sub divina potestate speciali modo constitutus, in carcerem veluti coniectus plenissime exsolvat. Cum ergo Deus secundum iustitiam agens, eam poenam peccato decernat, quae per se et primo eidem debetur, hanc poenam primo et per se ei decrevisse censendus est. Ita sane aptius explicantur quae de satisfactione et indulgentiis communiter Theologi docent.

Contra est tamen quod iusti in hac quoque vita non solum sinuntur, sed iubentur satisfactionem exhibere, ut patet in Sacramento Poenitentiae, cuius pars est satisfactio. Necessitas praeterea satisfactionis demonstratur a Theologis ex doctrina Patrum, qui simpliciter exigebant in hac vita satisfactiones pro culpa, provocantes ad Dei legem.

Censemus proinde affirmari posse generatim quod Deus exigit aliquam poenam indeterminate sive in hac sive in altera vita et velit quidem ut in hac vita aliqua satisfactio exhibeatur, permittat vero imo exhortetur iustos ut totum debitum poenae in hac vita extinguant; quod si id heic ipsi non praestiterint, soluturi sint reliquum poenae patiendo in altera vita. Cur dixerimus affirmari id posse *generatim*, patebit ex thesi seq.